



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio  
Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

II. Deum esse Perfectionis exemplar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

## CAP. II.

*Deum esse PERFECTIIONIS  
exemplar.*

**H**Æc in Deo esse, idcirco ostendimus, ut *Homo est*  
 homo, qui ad imaginem Dei creatus est, *imago Dei.*  
 in Dei PERFECTIIONES oculos conuertat:  
 ut qui imago Dei est per naturam, & per gratiam  
 eidem similis, imaginem suam deformatam re-  
 stituat, & pro virili, Dei PERFECTIIONES in  
 se efformet, quibus ei simillimus euadat. Ut  
 enim pictor qui imaginem aut vetustate detri-  
 tam, aut iniuria violatam pristino splendori re-  
 stituere vult, ad prototypum recurrit, abraque  
 lineamenta ac colores reponit: ita anima, quæ  
 studio PERFECTIIONIS tenetur, si vetustatem  
 suam renouare, aut deformitatem corrigere  
 cupiat, necesse est ut oculos in prototypum cõ-  
 ficiat: illic turpitudinem, deformitatem, vetu-  
 statem, defectusque omnes suos agnoscat: diffi-  
 militudinem vero ab exemplari tantam, ut in se  
 vix eius vestigium agnoscat. Immensa enim Dei  
 est pulchritudo ac venustas: integritas eadem  
 naturæ & PERFECTIIONVM, quæ ab æterno  
 fuit: quanta ergo animæ cum Deo diffimilitu-  
 do!

*Si deforma-  
ta, quomo-  
do repara-  
ri debeat.*

2. Quæ de re eleganter D. Ambrosius: *Illæ a-*  
*nima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gra-*  
*tiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima*  
*bene*

*In Hexa-  
mer. li. 6. c.  
7. tom. 4.*

bene picta est, in qua est splendor gloria, & paterna imago substantia. Secundum hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem caelestis, sumpsit terrestres effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem, quae intrare ciuitatem Dei non potest: quia scriptum est, Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Hæc Ambrosius. Hanc eandem similitudinem & dissimilitudinem exprimit etiam Diuus Gregorius Nyssenus. Hæc ait, similitudo hominis cum Deo, est puritas beatitudo, carere affectibus, ab omni prauitate esse seiunctum. Diuus Augustinus, disputans in quo illa similitudo consistat, ait: Id autem est ipsa ratio: unde Apostolus dicit: Renouamini spiritu mentis vestrae, & induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionem eius, qui creauit eum. Satis ostendens qua parte homo creatus sit ad imaginem Dei: quia non corporeis lineamentis, sed quædam forma intelligibili mentis illuminatus. Hæc ille. Ergo secundum Augustinum homo per ignorantiam & peccatum Deo dissimilis efficitur, per conformationem uero cum Creatore constat eundem renouari. Concludam præclara quadam D. Bernardi adhortatione animam alloquentis: O anima mea, si vis amari a Deo, reforma in te imaginem eius, & amabit te: repara in te similitudinem eius, & desiderabit te. Consilio namque sanctæ Trinitatis ad imaginem suam creauit te Creator tuus: quod nulli alteri ex creaturis donauit, ut tanto eum diligentius diligeres quanto mirabilius ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam: quoniam sicut Deus ubique est totus, omnia uiuificans, omnia mouens, omnia gubernans: ita

*Psal. 72.*

*In Genes.*

*Lib. 3. de  
Gen. ad li-  
teram.*

*De interiori  
domo, c.  
67.*

in corpore tuo vbique tota es, illud viuificans mouens  
 & gubernans. Et sicut Deus est, uiuit & sapit: ita tu  
 secundum modum tuum es, uiuis, & sapis. Et sicut in  
 Deo sunt tres personæ. Pater, Filius, & Spiritus sanctus  
 sic & tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriã  
 & voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, &  
 ex utroque procedit Spiritus sanctus: ita & ex intelle-  
 ctu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit me-  
 moria. Et sicut Deus est Pater, Deus est filius, Deus est  
 spiritus sanctus, non tamen tres Dii, sed vnus Deus, &  
 tres personæ: ita anima est intellectus, anima voluntas,  
 anima memoria, non tamen tres anima sed vna ani-  
 ma, & tres vires. Ex quibus anima viribus quasi excel-  
 lentioribus iubemur Deum diligere, vt diligamus eum  
 ex toto corde, ex tota anima, tota mente, id est, toto in-  
 tellectu, tota voluntate, tota memoria, hoc est, toto affe-  
 ctu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Hæc Ber-  
 nardus.

3. Verum Deus nouerat paucos esse, qui adeo  
 lynceos haberent oculos, vt de eius PERFE-  
 CTIONIBVS meditatursi essent: multi enim si-  
 miles sunt viro consideranti vultum natiuitatis suæ *Iacobi. 1.*  
*in speculo:* legunt, audiunt Dei verbum, meditan-  
 tur obiter & per transennam, & immemores a-  
 beunt. Pauci vero perspiciunt ac penetrant le-  
 gem perfectam libertatis: satisque eis est, si ali-  
 quid de ea sciant, ne in colloquiis ignari ha-  
 beantur: experientiam vero, vel sensum rerum  
 diuinarum habent aut nullum, aut exiguum: &  
 licet attendant nonnulli, ac diligentiam ali-  
 quam adhibeant: quia tamen Deus excelsus est, *1. Tim. 6.*  
 & lucem quandam habitat inaccessibleē, nec omnes

*Lex natura  
ra imago  
quædã est  
diuinarum  
Perfectio-  
num. Sed  
maxime  
lex gratia.  
Similia.*

1.

2.  
*In Genes.*

idonei sunt ad sublimia illa Dei arcana confide-  
randa: idcirco semina quædã naturæ nostræ in-  
didit, ac legem impressit animis hominũ, eamq;  
incredibiliter auxit ac illustrauit accessione gra-  
tiæ supernaturalis, virtutum infusarum, ac do-  
norum spiritualium. Vt Deus imitatus videatur  
Principem nobilissimum, filium procul able-  
gantem: quem cum sui memorem perpetuo  
habere velit: tabulam ei quandam, effigiem nẽ-  
pe suam, viuis & maxime insignibus coloribus  
depictam, in qua lineamenta, virtutumque eius  
splendor, stemmata quoque ac decora omnia  
reluceant, tradit: in ea domus illius parte col-  
locandam, vnde in eius oculos quodammodo  
incurrat assidue: sicque paternorum monito-  
rum, factorum, ac virtutum memoriam num-  
quam valeat deponere. Ita æternus ille genitor  
idelebilem animis hominum ideam atq; effigie  
impressit, quam intuentes à patria extorres filii,  
parentis amantissimi, eiusq; voluntatis memo-  
riam perpetuo foueant atq; retineant. Non ab-  
similem considerationem adfert Theodoretus.  
*Quemadmodum, inquit, si quispiam Rex cũ ma-  
ximam urbem excitasset, multisq; & variis operib. ador-  
nasset, imaginem suam, maximã, decentissimãq; in  
urbis medio collocaret, vt hac imagine Regem huiusce  
urbis auctorem conditoremque indicaret, quem omnes  
urbis habitatores venerarentur, & gratias age-  
rent, quod sibi urbem construxisset: eodem modo  
Deus, postquam mundum condidit, hominem ad  
imaginem suã à se creatum, in eo tamquam imaginem  
propriam collocauit, cui omnes creatura deferuirent.*

Hæc

Hæcille. Verum æquū non est, vt omnes creatura Deam in sua imagine agnoscant ac venerentur: homines vero qui eam in se portant, omnino negligant, & Dei Creatoris sui obliuiscantur.

4. Hanc doctrinam Deus olim testatam voluit, cum\* in monte Sina legem in tabulis lapideis secundo sculpsit, excitatis tonitru, fulgure & horrendo boatu; vt homines oculis auribusque haurirent ac sentirent exterius, quod interius apprehendere non poterant. Verum parum id iuuat: nam Apostolus de hac voluntatis diuinæ cognitione sic statuit; tantū abest vt illa præsidio fuerit; vt etiam occasionem vel peccandi, vel grauius peccandi præbuerit: quod legis seruandæ scientiam obligationemq; renouauerit; volūtatem vero hominis instabilem, fragilem, infirmam, multisque vulneribus sauciam, allato gratiæ præsidio nullo modo sanauerit. Audiamus Apostolum: *Lex iram operatur: vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Quid ergo dicemus? Lex peccatū est? Absit; sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebā, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione aut accepta, peccatum per mandatū operatum est in me omnem cōcupiscentiam: sine lege enim omne peccatum mortuum fuerat.* Hæcille. Lex ergo antiqua, etsi speculum quoddam sit, cum ad maculas faciei nostræ deformatæ videndas, tum ad normam quandam vitæ degendę desumendam: sufficiens tamen non fuit ad maculas illas abstergendas, neque ad vitam roburq; muneribus obeundis largiendum, cum & ipsa muta mortuaque loqui ac præire non posset.

*Lex vetus  
imago im-  
perfecta  
minimeq;  
sufficiens.  
\* Exod. 19.*

*Rom. 4.  
Rom. 7.*

Qua-

*Christus i-  
mago Dei  
Patris per-  
fectissima  
nobis pro-  
ponitur.  
Sap. 7.*

5. Quapropter volens Deus prolixè prospèctum ignorantæ & infirmitati hominis, ipsum prototypum & exemplar in mundum mittere, Filium suum, dignatus est, Paris nempe veram viuamque imaginem: (*Ipse enim candor est lucis æternæ. & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*) vt non tantum speculando homines crassi Dei PERFECTIOES vide: èt: sed & oculis corporis conspicerent ea, quæ mente nequirent in natura diuina perscrutari. Ita enim Dominus Moyfi, cum exemplar ac ideam prescripsisset Sanctuarij: *Vide (inquit) & omnia facito iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Id ipsum diuus Paulus reperit, ostendens Moyfi hæc in figura contigisse: nobis vero Iesum Christum in loco eminentissimo PERFECTIOIS exemplar perfectissimum propositum. Vnde alio loco: *Estote imitatores Christi, sicut filii carissimi.* Et D. Petrus, *Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.*

*Perfectio-  
nes Dei in  
Christo re-  
presentata.*

1.  
*Carere pec-  
cato & do-  
lo.*

2.  
*Humili-  
tas.*

6. PERFECTIOES ergo, quas Deus vult nos imitari in se, tamquam prototypo, sunt: *Pecatum non facere: dolum in ore nostro non inueniri.* Et quæuis humilitatis virtus quodammodo eum deceat, quod nulli possit subesse: eam idcirco assumpsit naturam, in qua non indecore virtutem illam, quam summopere adamauit exerceret, & nos ad sui imitationem alliceret. Pari modo, cui in cælo obediret, non erat: *ideo semetipsum humiliavit, factus Patri obediens vsque ad mortem: is, inquam,*

quam, qui cum in forma Dei esset, rapinam non arbitrabatur, esse se equalem Deo. Ditissimus quoque erat: Eius enim est terra & plenitudo eius: dixeratque olim, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregebus tuis hircos. Quoniam mea sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia caeli, & pulchritudo agri mecum est. Diues ergo cum esset, condicionem eam assumpsit, in qua dicere posset: Ego autem mendicus sum, & pauper. Supra modum eidem carnis integritas placuit: & cum sine corpore laudem humanæ castitatis ferre non posset, corpus induit demonis exterio ludibrio obnoxium: ut & in eo de infirmitate nostra triumpharet, nosque illud encomium reportaremus: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt conquinati: virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.

7. Aspice ergo, ô homo, in exemplar quod tibi Deus proposuit imitandum. Intra domunculam, imo antrum Bethleemiticum. Illic videbis Deum humilem, pauperem, virginem ex virgine, obedientem Patri, subiectum legibus. Eius considera caritatem immensam, qua se pro inimicis incommodis obiicit innumeris. Illic denique apparet benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, & quidem omnibus hominibus: ut abnegantes impietatem, & secularia desideria sobrie, iuste, & pie viuamus in hoc seculo. Ipse namque sobrietatem docet:

Paruoque lacte pastus est,

Per quem nec ales esurit.

Docet & iustitiam: sic enim decet omnem impleri iustitiam:

B

stitiam:

3.

Obedientia.

Philip 2.

Psal. 23.

Psal. 49.

4.

Paupertas.

Psal. 39.

5.

Virginitas.

Greg. hom.

16. in Eu-

ang.

Apoc. 14.

1. In natiui-

tate Chri-

sti.

6.

Caritas.

7.

Benigni-

tas.

Tit.

8.

Sobrietas.

Sedulius.

9.



*Iustitia.* *Matth. 3.* *10.* *Pietas.* *Ioan. 8.* *2. In vita virtutes congesta.* *Act. 1.* *Matth. 11.* *Matth. 5.* *Iustitiam:* erga Deum, erga homines, pro hominibus. Ecquis magis pius, quam qui dicere potest: *A me ipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia, quæ placita sunt ei, facio semper?*

*8.* Cæpit ergo Iesus facere, vt liberius postmodum docere eadem posset, ac dicere, *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde:* atque in monte sublimem illam doctrinam Apostolis nobisque promulgare: *Beati pauperes spiritu: beati mites, qui lugent, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, misericordes, mundi corde, pacifici, persecutionem patientes.* Respondit ergo doctrina factis: & in eo tantum discrepauit, quod annis trib. dumtaxat docuerit, fecerit vero, quæ docuit, annis triginta tribus, & quidem adeo multa, vt de his ita scripserit D. Ioannes: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitrator mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, Pauca tamen scripta sunt, & quidem vix alia, quæ quæ trium annorum spatio exercuit: nec ea quidem omnia: & quæ scripta sunt, adeo referta sunt virtutum exemplis, vt pæne verba singula vim contineant exerantque eximiam, documenta rara, maximeque illustria: vt non immerito eius humanitati illud Salomonis abscribi posse videatur, *Venter tuus sicut aceruus tritici.* In aceruo tritici non solum ipse cumulus integer, sed & grana singula vim germinandi continent: & quidem non modo culmum vnum, sed ex vna enata radice culmos plures & spicas: grana autem adeo multa, vt subinde gramen vnū reddat fructum*

*Ioan. 20.**Cant. 7.**Luc. 8.*

Stum centesimū, Talia sunt verba singula Seruatoris, singule virtutes, vt, si à terra méteq; frugifera excipiantur, ac considerentur, vnū erit instar centum, & centena alia germinabit, fiet que ex grano cumulus, qui sufficiet vniuerso orbiserendo & alendo, infinitisque aliis cumulis coaceruandis absque numero & termino.

9. Deficeret me tépus, si vel cōpendio virtutes persequi vellē, quæ in passionis vnico die emicuerūt. Nec facile perspiciūtur, nisi ab his q̄ inuolucrū ac corticē aperiunt: latēt .n. vt in malo granato densa, ordinata, sãpida, sanaq; grana, sed inuoluta cortice ignobili: nec ea gustantur nisi à purgato palato, & oculis exposita: fracto demum cortice, sedulo meditationis studio.

O quanta lumina, quales gemmæ, quæ decora latebant sub spinoso capite, sub deformato Filii Dei corpore! Numerata vniuersi Oceani guttas, subducas numerum granorum arenæ quæ in maris littore densissimæ visuntur: computa quot in cœlis astra reluceant, quot in immêlo æternitatis circulo dies inuoluâtur: tot in Deita e

PERFECTIONES, tot in Christi humanitate, velut sub cortice contemptibili, virtutes condensatæ, ordinatæ, sãpidæ, sanæque delitescunt: vt merito de hac dici possit: *Sicut cortex mali punicici: ita gena tua, asque eo quod intrinsecus later.* Ad iurata quoque cœlestis Sponsa, qualis esset dilectus eius ex dilecto, respondit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigra sicut coruus. Oculi eius sicut columba super*

*Virtutes*

*Christi cū Dei infinitis attributis comparantur.*

*3. In passione virtutū acervus.*

*Cant. 4. & 6.*

*Cant. 5.*

B 2 riu-

riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. Genæ eius sicut areolæ aromatum, confitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphis. Crura illius columna marmorea, quæ fundata sunt super bases aureas. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Vides quam Scriptura vtitur incredibilibus metaphoris, vt eius internam, corporisque mystici, (vti Patres sancti interpretantur) quamuis à capite ad calcem dilaniati atque deformati, pulchritudinem exprimat: & ostendat tantas eius esse PERFECTIO-  
NES, quantas nec Angeli, nec humana mens, nedum lingua aut calamus, possit non dicam explicare, sed ne quidem adumbrare. Et sicut in Deo attributa infinita sunt, quorum singulorum summa PERFECTIO est, atque immensitas; ita & in Christo, vera Patris effigie, eadem PERFECTIOES nobis repræsentatæ expressæque sunt, & ad praxim propositæ: (alioquin prope inaccessibiles & inimitabiles, & eæ quidem infinitæ) vt tardioribus ingeniis opus non sit supra vires ingenij effingere formas incognitas idearum cœlestium, quas ne clippientes mortaliū oculi contueri, nec humana infirmitas efformare, capere, aut imitari valeat.

Greg. in  
Cant.

CAP.